



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Vldaricvs III. Abbas Heremitarvm XXXIIX. Princeps Imperii Vigessimvs  
Primvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



VLDARICVS III. AB-  
BAS HEREMITARVM

XXXIIX. PRINCEPS IMPE-  
RII VICESIMVS PRIMVS.



ADMINISTRAVERAT Vldaricus parocci-  
am Heremi annos x x ii. Decanum egerat bi-  
ennium, &, postquam Adamus secessit, Cura-  
torem Monasterij eiusdem legati Apostolici au-  
ctoritate, sexennium cum cura, & industria, quo facilius ad  
Principatum aditus fuit. Sixtus v. pontifex eius dignitatem  
ratam habuit absque precio. Consecrauit frequenti vici-  
nitatis conuentu Balthasarus episcopus Afcalonensis Suffra-  
ganeus Constant. nono kalend. Septembris, Diui Bartholo-

ma:

mæi Apostoli memoriæ consecrato A. D. N. C. I. O. D. LXXXVI.  
 In Principatus initio eamdem quam prius, cum Curatorem  
 ageret, reedificandi Monasterij, & vtriusque basilicæ cu-  
 ram habuit, magnamque partem perfecit, mox istas preci-  
 oſis omnis generis ornamentis, & clinodijſ illustrauit. Po-  
 ſtremo æri alieno diſſoluendo, quod antecēſſores, aut ipſe  
 ad mitigandas neceſſitates contraxerant, operam impen-  
 dit, cuius haut minimam ſummam expunxit. Interea & per  
 iſta augendi Conuentus, & bonarum literarum haut inferi-  
 orem rationem habuit. In huius album plures eximiæ ſpei  
 adoleſcentes cooptauit, numquamque frequentiore, aut  
 ornatiore multis retro actis temporibus Conuentum Mo-  
 naſterium habuit, etſi maxima incidifſet eoſdem per annos  
 annonæ caritas. Ex iſſdem adoleſcentibus alios in Germa-  
 niæ Dilingam, Friburgum Briſgoiæ; alios in Italiæ Acade-  
 mias Mediolanum, Papiam, Bononiam deſtinauit, non-  
 nullos in Heluetia retinuit, & in Societatis I E S V Gymna-  
 ſijs literas colere iuſſit, nullis hac quoque in parte parcens  
 ſumtibus, licet ingentes impenſæ per fabricam, & inſtaura-  
 tionem, ornatumque continuarentur, & procederent.  
 Prorſus ſingulari pietatis, prudentiæ, manuſuetudinis, & in-  
 duſtriæ cōmendatione annum Principatus decimum quin-  
 tum impleuit. Obijt anno ſeculari Milleſimo, Sexcente-  
 ſimo, Sexto Idus Octobris. Electus poſt eum magno con-  
 ſenſu Auguſtinus Hoffmann Aquenſis, qui Decanum gere-  
 bat, non ſine ſumma approbatione, lætitiæque, & congra-  
 tulatione Ioannis ex Comitibus Turrianis Epifcopi Vegli-  
 enſis, Nunciij per ea tempora in Heluetia, & vicinia Apoſto-  
 lici, qui vt Heremi noſtræ eximius ſemper fautor, & ama-  
 tor exſtitit, ita de tota Heluetia, vniuerſisque ſuæ curæ,  
 & muneri commiſſis diœceſibus promeritus eſt, vt facilius  
 ſit eius laudes admirari, quam verbis exprimere, adeo in  
 eo omnia fuere, & ſunt, quæ ad magni antiſtitis, neque  
 noſtri, ſed illius antiqui, & purioris, ſanctiorisque æui  
 gloriam, & commendationem pertinent, ſiue oris facundi-

diam, morum, & vitæ integritatem, munificentiam, & liberalitatem, postremo & cum admirabili comitate incredibilem auctoritatem intueare, cuius proinde apud nos gratissima, & gloriosissima memoria iure merito semper erit. Electio Augustini facta xv. Octobris sequentis, ætatis eius anno xlv. cum Subpriorem annum vnum, Decanum xv. egregia cum laude, & omnium satisfactione egisset. Confirmavit sequenti anno Clemens viii. pontifex max. Insula induit, inunxitque idem Ioannes Episcopus Vegliensis Apostolicus Nuncius. Quo etiam anno priuilegiorum, & regalium confirmationem ab Rudolfo ii. Imper. impetrauit, illique, & Imperio Pragæ per legatum fidei, & obsequij sacramentum, tamquam Princeps Imperij, præstitit viii. Octobris.



AVGV.